

T  
470

INSTITUTIONES  
JURIS CANONICI

IN TRES PARTES,  
AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,

QUIBUS

VETUS ET NOVA ECCLESIAE DISCIPLINA ET MUTATIONUM  
CAUSÆ ENARRANTUR

A DOMINICO CAVALLARIO  
JURIS CANONICI ET CIVILIS  
PROFESSORE CONSCRIPTÆ.

M.DCC.XXII. M.DCC.XI.

TOMUS PRIMUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI EX TYPOGRAPHIA REGIA.  
MDCCC.

---

*Se hallará en la Librería de Don Felipe Alverá, Carrera de San Gerónimo, frente á la calle del Baño.*

# P R A E F A T I O

AD CUPIDAM SACRORUM CANONUM JUVENTUTEM.

A U C T O R.

§. I. In tanta librorum copia, qua sacri Canones, non secus ac aliquæ facultates, à multis sæculis ob-ruuntur, novæ tandem *juris canonici institutiones* evul-gantur, quibus res canonica stilo fusiori, variis passim observationibus & nonnullis insertis quæstionibus, enar-ratur. Ita opus vel ipsa inscriptione damnari videtur. Scilicet institutionum hæ sunt leges, ut elementa ar-tium & propriarum vocum explicationes contineant, & prima quasi lineamenta in studiosorum animis inscul-pant, quibus ad prolixiores & difficiliores libros præ-parentur. Et quidem meliores ecclesiastici scriptores & ante & post renatas litteras ex harum legum forma ins-titutiones ediderunt, veluti Antonius Cucchus, Pau-lus Lancellottus, Franciscus de Roye, & Claudius Fleu-ryus, quamvis non omnes pari methodo, ac felicitate, nec eodem rerum delectu. Etenim Cucchus & Lancel-lottus vix ultra Decretales excurrunt, nec rebus cri-ticis eorum ætate admodum excultis, multa ex turbidis fontibus hauserunt. Sed opus Fleuryanum perfec-tissimum est, veterem & novam in præcipuis articu-lis exhibens Ecclesiæ disciplinam: nec pretio carent suo Francisci de Roye institutiones, quamvis aliquando la-borent confusione.

§. II. Positas à sapientibus institutionum leges for-tasse infregi, sed ita finis, qui ad opus elucubrandum impulit, postulare videbatur. Nempe non nuda sacro-rum Canonum præcepta tradere institui, sed suis ori-

# INSTITUTIONES JURIS CANONICI PROLEGOMENA.

## CAPUT L

*De natura & origine juris canonici.*

*Christus Ecclesiam fundat.*

§. I. Postquam genus humanum , propter primi hominis labem à spe beatitudinis dejectum , peccati laqueis obstrictum diu jacuisset , temporis impleta plenitudine , toties promissus patribus in Prophetis , ad perditos homines in jus beatitudinis revocandos , Christus Jesus ex sinu Patris advenit . Qui ut tantæ rei satisfaceret , nostram induitus humanitatem , Ecclesiam sibi collegit & fundavit , quam exemplo & prædicatione sua instructam stare voluit æternum . Quod ita profecto fieri oportebat , ut redemptionis beneficium omnes complecteretur . Huic autem à se fundatæ Ecclesiæ non solum Christus ipse vivens leges dedit , verum etiam per Apostolos , quibus ad opus perficiendum immisit post mortem suam Spiritum Sanctum , quo interno numine Apostoli eructi & afflati Ecclesiam per universum mundum dilatarunt .

*Ecclesia proprium regimen habet.*

§. II. Quum vero Ecclesia ex multitudine credentium constet , & societatis natura talis sit , ut necessario certum regimen requirat , questet & conservetur , Jesus Christus discessurus ex hoc mundo ad Patrem , promissum de Ecclesia æternum duratura veluti adimplens , perpetuum in ea regimen constituit , cui ejus regendæ potestatem , & eorum omnium , quæ ad ejus conservationem spectare viderentur , pleno jure concessit . Qua super re non est ambigendum , quum conceptissima sint sacrarum Scripturarum testimonia , quibus Apostolis eorumque successoribus regimen Ecclesiæ demandatur (a) .

*Objectum potestatis ecclesiastice.*

§. III. Hæc autem potestas Ecclesiæ regendæ Apostolis & eorum successoribus per Christum concredita , circa tria versatur , *Doctrinam* , *Mo-*

(a) Jo. XX, 21. Act. XX, 28.  
Tom. I.